

leviter convexa, clypeo leviter arcuato, basi clypei sat longe supra insertionem antennarum fere in linea intermedia oculorum posita, gula leviter obliqua, brevissima, sed distinguenda, genis feminae mediocribus. Oculi laeves, feminae in genas modice extensi. Rostrum articulo primo dimidium xyphi prosterni vix attingente. Antennae articulo primo apicem clypei parum superante. Pronotum basi longitudine saltem duplo latiore, apice longitudine distincte latiore, lateribus rectis, disco versus apicem levissime declivi, callis discretis, distantibus, transversis. Scutellum basi detectum. Hemielytra completa, membrana biareolata. Pedes femoribus et tibiis punctis nigris omnino destitutis, his spinulis nigris armatis, tarsis articulo primo inferne spinulis brevibus nigris praeditis.

Ochrodema fusciloris Reut.

Diagn.: Dilute albido-ochracea, tenuissime albo-pubescentia, fronte utrinque macula magna nitida, plerumque etiam callis pronoti basique scutelli testaceis, vittis duabus clypei interdum obsoletis lorisque discretis nigro-fuscis; antennis articulo primo toto, secundo toto vel saltem basi duobusque ultimis nec non apice tarsorum nigro-fuscis. Long. ♀ $3\frac{3}{4}$ mm.

Hab. in Algeria (Biskra!, D. Dr Chobaut, D. Dr Schmiedeknecht; coll. Puton, Fokker et Reuter).

Deser.: Caput basi pronoti $\frac{2}{5}$ — fere $\frac{1}{4}$ angustius et ejus apice paullo latius, vertice oculo circiter dimidio latiore (♀). Oculi sat magni, nigro-fusci. Antennae articulo secundo latitudine capitinis (cum oculis) parum vel vix longiore, tertio secundo circiter $\frac{1}{3}$ breviore, fusco, ipsa basi pallida. Pronotum, scutellum et hemielytra albido-ochracea, callis pronoti plerumque obscurioribus, membrana tota hyalina, venis pallide flaventibus. Pectus et abdomen dilute flavo-ochracea. Tarsi articulo ultimo apice late nigro-fusco, unguiculis nigris.